



PALAEASTRA LATINA

S U M M A R I U M

- DE VOCATIVO QUORUNDAM NOMINUM PRO-
PRIORUM IN *IUS*. (Em. Jové.)
- ELEGIA. (R. Borrás, Pber.)
- «PRIMUM ET PRIMO» ATQUE HOC GENUS
ADVERBIA. (L. Fanlo.)
- DOMUS PATERNÆ DESERTOR. (P. Philoponus.)
- INSTRUMENTA MUSICA. (I. González.)
- JUNO «LUDOVISI». (Phidiacus.)
- EXERCITATIONES SCHOLARES.
- PUBLILIUS LOCHIUS SYRUS. (J. M. Mir.)
- COMMERCIO EPISTULARE.
- PER ORBEM.
- BIBLIOGRAPHIA.

Ordinarii atque Superiorum permisso

Libri in Actuaria accepti

Marouzeau, J. «La pronunciation du Latin» (Histoire, théorie, pratique). Les Belles Lettres. (95, Boul, Raspail, Paris-VI). Pag. 25, 1931.

Gonçalves, F. R. Περὶ τίνων Ὁμηρικῶν ἐπιθέτων εἰς' Απόλλω ἀνηκόντων

Simónides de Amorgo. «Satira contra as mulheres». (Notícia literária, traducção, e commentario filológico por **R. F. Gonçalves**). Pag. 74, 1930 (Imprensa Nacional, Lisboa).

Albareda, A. «Historia de Montserrat». (Monestir de Montserrat, Any Jubilar, 1931) Pág. 410.

Sarret i Pons, Ll. «Nobiliari Targarí». Arts Gràfiques - F. Camps Calmet - Tàrrega. 1931. Pág. 71.

"Anuario Eclesiastico" "Edit. Subirana, Barcelona (Puerta-ferrisa, 14 Ap. 203) 1931.

«Anuarium Eclesiaticum» satis quidem est pervulgatum ut nostra indigeat commendatione. Optatissimum uberrimumque in annos evadit; ea enim quae in eo continentur, sc. Curiae Romanae constitutio, Actaque ab ipsa per annum edita, Hispaniarum status, Sanctarum omnium catalogus, de rebus ecclesiasticis dissertationes, cet. clerecis aliisque non parvi sunt pretili.

Optandum tamen est ut paroeciarum, religiosarum domorum, aliarumque rerum statum in melius emendatum obferat ne adeo frequens ad annos praeteritos opus sit conlatio.

Jakob Burckhardt, Die Zeit Konstantins des Grossen, Verlag Alfr. Körner. Leipzig pag. X et 493; 3, 50 RM.

Jakob Burckhardt, Die Kultur der Renaissance in Italien, Verlag Alfr. Körner, Leipzig, pag. VIII et 540; 2, 75 RM.

Bibliopola A. Körner non parvum litteris emolumentum praestitit, cum libros olim a Jacobo Burckhardt tanta cum sapientium gratia scriptos, nunc denuo in lucem prodidit. Quoniam vero plus 40 anni a morte auctoris jam efflu-

xerunt, nihil mirum si cum methodus de veritate historica dignoscenda, tum criterium in rebus gestis dijudicandis a J. Burckhardt in suis libris adhibitum, progressui scientifico a nostris temporibus certe jam est alienum. Libri tamen tanta elegantia, tanto ingenio sunt scripti, ut nec temporis fluxu singularem praestantiam amiserint.

In libro *Die Zeit Konstantins der Grossen* Burckhardt, magnam illam aetatem, in qua imperium Romanum totum prope declinaverat, virtutem singularem et vim internam ad novm rerum ordinem praeclaro ingenio depinxit, atque pugnam cadentis alterius, alterius exurgentis aetatis facili calamo descripsit.

In altero libro, *Die Kultur der Renaissance in Italien*, idem auctor et principia et facta illius aetatis «Renatus» nomine investigat, atque quid inde consequatur, subtiliter descriptis. Hic forte plus quam in alero libro judicio subiectivo, non semel veritati historicae adverso, nimis indulget, ut eo tempore mos erat apud historiarum scriptores.

Hodie tum de tempore Constantini Magni, tum de tempore «Renatus» idem ac Burckhardt sentire non possumus, cum scientia historica nunc melioribus sit Monuments; tamem lectionem utriusque libri utilem putamus.

A. SCHWIENTECK, C. M. F.



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesseturum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

De vocativo quorundam nominum propriorum in *ius*

Quotiens in publico Sanctorum litanias recitare contingit, quaedam nomina obcurrunt pronuntianda, quorum accentus magnum animis creat haesitationem. Cujus quidem rei non unica ratio est quod in quibusdam Breviariorum Romani editionibus, ut in typica a Pio Papa X adprobata,⁽¹⁾ Grégori et Ambrösi, non Gregóri neque Ambrösi inveniatur contra veterem horum nominum acuendi consuetudinem. Quid ergo? Erratumne est adhuc? Quod si ita est, nihilne valet usus contra legem?

Vere erratum est

In hyperdisyllabis vocabulis cum paenultima brevis est, acuenda antepaenultima. Hanc regulam communiter tradunt grammatici tum veteres, tum recentes. Ex veteribus ecce testimonium Servii: «In trisyllabis et tetrasyllabis et deinceps tertia a fine syllaba acutum semper habebit sonum, tunc cum secunda a fine fuerit naturaliter brevis». ⁽²⁾ Inter recentes autem liceat Lucianum Müller, hominem in re philologica unice peritum, testem adferre: «Proparoxytona sunt vo-

(1) Romae - Typis polyglotis Vaticanis MCMXIV - editio prima. — (2) Keil. G. L. IV p. 427.

bula plus quam disyllaba omnia, quae habent brevem paenultimam.⁽¹⁾ Proparoxytona vero dicuntur vocabula quae in antepaenultima habent sonum acutum.⁽²⁾

His duobus testimoniiis accedat oportet validissimum etiam Ricciolii, qui nobis sensum ostendat temporis renatus hominum clarissimorum: «Quamquam verissimum est quantitatem syllabae et accentum differre, in Latino tamen sermone longitudine paenultimae in hyperdissyllabis est causa accentus acuti aut circumflexi; et accentus utervis est certissimum indicium longitudinis, sicut e contrario parentia utriusque accentus est manifestissimum indicium brevitatis.»⁽³⁾

Itaque rectissime scripsérat Ciceronis tempore P. Nigidius Figulus: «In casu vocandi, ut Valeri, summo tono est prima, deinde gradatim descendunt.⁽⁴⁾ Et in versibus Horatii, alio sapphico, alio autem asclepiadeo exempla duo habemus vocativorum in quibus ex necessitate metri paenultima est corripienda ac proinde antepaenultima acuenda:

Mércuri, facunde nepos Atlanti⁽⁵⁾

Nulli flebilior quam tibi, Vérgili⁽⁶⁾

Tota igitur quaestio est brevisne sit an longa paenultima syllaba in his vocativis de quorum accentu agitur; neque audiendus Gellius qui floruit Hadriani temporibus: «Si quis nunc Valerium appellans in casu vocandi, secundum id praeceptum Negidii acuerit primam, non aberit quin rideatur.⁽⁷⁾ Ex Despauterio namque qui et Nigidii et Gellii sententiam adfert haec excerpimus: «Vocativi in i secundae declinationis, facti per abscisionem us syllabae, paenultimam acuunt: Vergili, Ovidi, Mercúri; haec est fere omnium grammaticorum doctrina cui tamen refragatus est Nigidius Figulus, vir sui saeculi praeter unum Ciceronem omnium eruditissimus; in vocandi casum «Váléri» acuebat ut testatur Aulus Gellius. Nonnulli tamen dictum hoc Nigidii inridebant, sed jorsitan imperitiores. Ideo dicit undequaque doctissimus Antonius Nebrissensis: «tantum Nigdio tribuo ut libentius velim cum eo errare quam cum omnibus grammaticis verum dicere. Adstipulatur Nebrissensi Bebelius, nec dissensio.»⁽⁸⁾

Non mirum quidem si eo tempore Gellii erratum est, cum in aliis bene multis idem accidisset, quorum nonnulla laudatus Lucianus Müller enumerat his verbis: «Perversa autem et vix memoria digna sunt veterum grammaticorum praecepta, qui adserunt pronuntiandum Musáque, hominéque, pleráque, utráque, itáque, (pro et ita) si-

(1) *Orth. et Pros. Lat. Summarium II, 18.* –(2) **Forcellini**, Lexicon totius Lat. vid. hoc verbum. –(3) *Pros. Bon. De accentu III.* –(4) **Aulus Gellius**, Noct. Att. XIII, 26 –(5) *Carm. I, 10, 1.* –(6) *Carm. 1, 24, 10.* –(7) *Noct. Att. XIII, 26.* –(8) *Commentarii gramm. De accentu except. a reg. tert.*

milia. Quae non magis sunt memoria digna, quam quod jubent pronuntiari adverbia *adéo*, *poné*, *circúm*, *docté* vel pronomen *eádem* vel quod adserunt in genitivo contracto sive vocativo verborum in *ius*, *iūm* exeuntium, quorum antepaenultima est brevis, jam paenultimam acuendam, pronuntiandumque *consilī*, *principi*, Vergili. Orta haec sunt omnia partim ex perverso studio imitandi Graecorum accentus, partim ex cupidine discernendi similia.»⁽¹⁾

Quid valeat usus

Patet igitur ex dictis non nisi ex errore inductam esse hanc brevium vocativorum acuendi consuetudinem, quae etiam in liturgica nomina inrepsit. Quis non audivit saepissime, ne dicam semper «*Sancte Gregóri, Sancte Ambrósii*»? Et tamen si usus nihil valeat contra legem, secunda horum nominum propriorum syllaba brevis est, neque ideo acuenda.

Labbeus inveteratam consuetudinem admittit. Huic opinioni subscribit etiam Verrepaeus, nec reluctatur Emmanuel Alvarus propter usum, qui procedente tempore accentus inmutandi vim habet.⁽²⁾

Despauterius qui de hujusmodi vocativis in genere adversariorum sententiae adhaerebat: «nolim, inquit, ecclesiasticum canticum inmutari, quandoquidem consecratis utendum esse Fabius recte admonuit.»⁽³⁾ Unde Ricciolius jam clarius loquens: «ego consuetudini a plerisque doctis jam toleratae in sacris litaniis indulgendum arbitror.»⁽⁴⁾

Atque ideo magis indulgendum cuique videbitur, quod Venantius Fortunatus, qui syllabarum quantitatem in multis neglexit, semel atque iterum in carmine Gregorium produxit:

«Denique santa cruci templa, Gregōrius obfert

Qui sacer ipse mihi te, pastor, agente, Gregōri;»⁽⁵⁾
et Aratus secundam Ambrosii syllabam pariter extulit;

«Qualis in Hyblaeis Ambrōsius eminet Hymnis.»⁽⁶⁾

Praeterea Ambrosium per «licenter scriptum in inscriptionibus invenit De Rossi; quae quidem omnia non parum in errorem pervulgandum contulerunt.

Pro brevitate litterae *o* in Ambrosio et in Gregorio stant, praeter etymon Graecum («priv. et βροτός mortalis et γρηγόριος vigilans») in quibus inest *o* non *ω*, omnes lexicographi qui quantitatem syllabarum notant. Ne desit tamen auctoritas clarissimi grammatici in medium producimus Despauterium: «Gregorius cum *η* in prima syllaba et *o*

(1) *Orth. et Pros. Lat. Summarium*, II, 21. — (2) *Alvarus*, *De instit. Gramm.* Edit. sept. n. 636. — (3) *Comm Gramm. De accent. initio*. — (4) *Pros. Bon.* Ind. secundus syllab. controv. *Gregori*. — (5) *Perim*, *Onomasticon*. Vide *Gregorius*. — (6) Idem ib. Vid. *Ambrosius*.

parvo in secunda scribitur, teste Bebelio; id recte observavit Baptista Mantuanus. Quidam primam male corripuerunt, secunda producta. Et idem alibi: «*O ante s* producitur; exceptio: *ambrösia, Ambrösius*:

Aut Glaphyrus fiat pater Ambrösiusque Choraules;
sic apud Valerium Flacum.»⁽¹⁾

Legitimus tamen ad nostram usque memoriām credebatur Gre góri atque Ambrósi pronuntiandi usus, cum ecce editores Breviarii Romani⁽²⁾ quos alii sunt imitati, consuetudinem omnem negligentes, ad veram legem sese revocarunt atque accentum graphicum horum nominum in antepaenultimam transtulerunt, unde non parvam induxerunt turbationem et de vero aliorum vocativorum accentu quaestionem suscitarunt.

Quoad accentum Gré góri in Litaniis Sanctorum quarumdam editionum non est dubitandum, oculis enim legentium patet. De accentu Ambrósi nullus est graphicus accentus in typica, eo quod littera majuscula A in qua fuisset depingendus eum non capit, ut accidit in Agátha.⁽³⁾ Satis autem id arguit editorum inconstantiam quod in Proprio Sanctorum legitur: O Doctor optime... beate Ambrósi.⁽⁴⁾ Optandum erat ut in Ambrósi sibi constitissent editores, sicut in Gré góri.

Alia omnia nomina quorum vocativus est in *i*, tam in Litaniis quam in Vesperis Doctorum recte in Typica Editione Vaticana signata sunt, ut Gervási et Protási, Antóni, Básili, Hílari, si unum Athanasium excipiamus cuius accentus est Athánási non Athanási ut in tertia editione legitur.

Ut absolvam paucis: 1.º Acuenda est antepaenultima syllaba in hyperdissyllabis quorum paenultima est brevis; 2.º Perperam antiqui et recentes acuerunt, contra classicorum usum, syllabam paenultimam brevem in vocativis nominum priorum factis in *i* per abscisionem *us*; 3.º Consuetudo inveterata Gregóri et Ambrósi vocativos in Sanctorum litaniis consecrassae credebatur; 4.º In iis etiam consuetudo illa retractata esse videtur in typica Breviarii Romani editione, quam retractationem lectores nostros sequi suaserimus.

EM. JOVÉ, C. M. F.

(1) *Comm. Gramm. Art. Versific. 1. III.* — (2) *Rottae - Typis poliglotis Vaticanis*. MCMXIV. — (3) *Ibi*: *dem.* — (4) *Romae - Typis poliglotis Vaticanis*: in edit. tert. non in prima quae est accuratior.

E L E G I A

(In memoriam amici dulcissimi Josephi Fonts,
Pbri., revoluto ab ejus obitu anno. I.)

Heil quam sola manent Latii perodora virecta
Planitie in lepida nobilis Ausoniae.
Cuncta silent, modulis non ullus ludit aëdon
Aures ac mentes pectoraque exhilarans.
Decessit nostras merito reputatus aëdon,
Egregius vates Fontius, urbis honos.
Luctibus indulget maestissima Musa Latina
Crinibus incultis, squalida, sola, silens.
Luget praeclarum, felici flamme, vatem,
Ulli non alii nos penes aequiparem.
Dulciter excuto, modulantis aëdonis instar
Carmine praecinuit Numina, Sacra, Viros.
Tot numeros sacro cui texit percitus oestro,
Tam memores modulos nuncupat iste comes:
Te avulsum doleo, heu, mi carissime Joseph.
(Talia dum fundo, lumina humore madent).
Usque tuae Musae devinctus amore cliensque,
Ipsamet acciderit semper amoena mihi.
Unquam nulla meo de pectore obliavia tollent
Officia in socium splendida quaeque tua.
Rite recordor, et haec semper meminisce juvabit:
Te duce, perdidici nectere verba modis.
Carus adhuc fulges comitans in imagine vivax;
Occasus expers, aurea stella micas.
Semper eris caraे patriae et decor optimus Ausae;
Nosti utramque tua nobilitare lyra.
Te Aonidum terrae ex pratis Mens provida duxit
Aonidum ad longe florigera arva poli.
Deliciis refluens, Musa comitante superna,
Dulce melos gemines saecula in perpetua.
Care mihi, da ducam in terris puriter aevum,
Sanctis ut tecum perfruar Elysiis

Raimundus BORRÀS, Pbr.

“Primum et primo” atque hoc genus abverbia

Adverbia numeralia in -o- et -um- finita, uti *primum* et *primo*, nonnihil differunt quod aliquando ipsos quoque Romano-rum doctissimos ad incitas reduxit.

Cum Pompejus, aedem Victoriae dedicaturus, suos honores inscribere vellet, ad doctissimum quemque rettulit, consule *tertio* an *tertium* scribendum esset; cumque non una de hoc esset pectorum sententia, Ciceronem rogavit Imperator ut ipse tandem caussam dirimeret, qui tunc persuasisse ei fertur ut solummodo TERT., scriberet, quo res demonstraretur, lis autem irresoluta maneret. (1)

Multis post annis, cum scaena, quae corruerat, reficienda esset et renovanda inscriptio, *tertius* consulatus tribus lineolis (III) significatus est ut iterum difficultatem fugerent.

Nos, sicut in superiore articulo promisimus, brevissime, et velut primoribus tantum digitis, rem attingere temptabimus. Ad quod fere sufficiet verba ponere M. Varronis, scriptorum sui temporis omnium doctissimi, quae hac super re non parum adferunt claritatis: «aliud est. ait; *quarto* praetorem fieri, et aliud *quartum*, quod *quarto* locum adsignificat ac tres ante factos; *quartum* tempus adsignificat et ter ante factum». (2)

Primum ergo, sicut et cetera adverbia numeralia, in -um- desinentia, innunt quotiens id effectum sit quod de subjecto praedicamus: *primo* autem et abverbia numeralia, quae in -o- terminantur ordinem significant, quo aliquid efficitur in ordine ad tempus vel ad locum.

Profecto, si res attente perpenderis facile animadvertes *primo* nihil aliud esse quam adjективum, subauditio *loco* aut *tempore*. Itaque hoc Ennii exemplum quod ipse commendat Varro, «Quintus pater *quartum* fit consul» significat Quintum patrem quatter consulatus munere functum esse (tempus), ac simul hunc esse quartum ipsius consulatum (ter ante factum); *quarto* fit consul significaret ante eum tres consules extitisse (tres ante factos) et post eos Quintum patrem etiam consulem fuisse (locum).

Caute ergo legendus est Forcellinius, qui universim *primum* indicare affirmat *ordinem in quo res primum locum occupat*, (3) igitur juxta haec «primum consul» sibi vellet: (*el que fué el primer cónsul, el que lo fué en primer término*). Qui sensus juxta Varronis sententiam per *primo* exprimendus esset. Forcellinius hoc adfert exemplum: «sed Juruta primo tantummodo belli moram redimebat..., postea vero, cet»... Cut, praeterquamquod non indubia gaudet autentiae, parum roboris est, hic enim *primo* usurpat uti caput distributionis seu enumerationis partium, in quibus diversam ac dictam sese habendi rationem *primum* et *primo* admittunt, de qua alio die sermo erit.

Antequam hunc pro tironibus scriptum articulum ad finem deduco, auctor tibi esse debeo, veteres etiam classicos, fortasse ob difficultatem, non multum usu perursisse in ejusmodi adverbiorum ambiguitate secernenda.

L. FANLO, C. M. F.

(1) Berroult «Traité des synonymes» ad verbum *primo*. Attamen minus recte ait cl. ille auctor Ciceronem distinctionis *primum* inter et *primo* nescium fuisse. Ex narratione Tironis unde de re prodita est memoria, nihil ultra liquet quam quod praefatum Pompejo consilium praebuit ne alterutram diverse opinantium partem offendet (Vid. *Aulium Gellium*, Noct. A. 16, X, I).—(2) A. Gell. loc. cit.—(3) Cf. et De Miguel, ad verba a *primo* et *tertium*. Eadem et apud illum lucet idearum confusio, ut videtur, a Forcellinio repetita.



Juno "Ludovisi"


Juno «divum regina Jovisque soror et conjux» (Verg. Aen. I. 50-51) est irae et vindictae symbolum, ut liquet ex mytologia. In certamine inter eam et Venerem, Paridi, quod hanc pulchriorem iudicavit, infensiissima et Trojanis injuriae memor semper obfuit, ut Aeneae in Italiam proficiscendi:

«..... manet alta
[mente] repostum
judicium Paridis,
[spretæque] *injuria*
[formæ]. (Verg. Aen.
[I. 30-31].

Cum plurima Jovis furta comperisset, ira exarsit, et divortio ab eo facto, Stymphalum se recepit; sed neque ita multo post Jovi se reconciliavit. Item in altercatione cum deorum rege, Tiresiam judicem Jovi faventem irata adversa manu excaecavit. Vindictae in instinctum saepe impulsa, in Jovem Titanas excitavit, ut eum regno expellerent; et Herculem vehementer perosa per Euristheum laboribus oneravit ut aliquando tandem interiret.

Eo pervenit ejus ira et calliditas ut filius Vulcanus poculum praeberet quo pectus ejus sedaret exardescens.

Cave tamen credas, candidelector, hanc fallacem Junonis indolem et iracundiam busto esse Ludovisi expressam. Nihil minus:



unde non inmerito aliqui arbitrati sunt illud non Junonis sed cuiusdam Augustae in dearum numerum relatae effigiem repraesentare. Adhuc sub judice lis est. Abs dubio tamen Junonem Ludovisi celeberrimo Jovi Otricoli compara randam censemus. Pectus sane giganteum, imitatio audacissima cuiusdam exemplaris graecanici. Adparet vero in Junone Ludovisi, quae dam mentis debilitas: nihilominus regia proportionum magnitudo quae in operibus tantummodo classicis invenitur naevum illum affatim compensat.

Si attente illam perspicias, non potest quin animum adripiat tuum majestatis aspectus qui ad culmina spiritualis ordinis usque sublevat. Idem ac de Jove Otricoli dici potest: quae serenitas dulcisque majestas in obtutu! Nulla nubes frontis inmortalis fines obnubilat: nulla secretæ commotionis perturbatio; nullum in labris oculisve ambitionis delineamentum.

Speciem divinitatis exprimit quam naturali lumine homo nancisci potest. Magnopere ejus pulcritudinem adauget elegans capillorum compositio atque aureum diadema tempora immortalia coronans. PHIDIACUS

Domus paternae desertor

I—Profectio

PATER, JOHANNES ET HENRICUS

- J.— *Ehodum commilito! T'unc hac?*
 H.— *Ita sodalis.*
 J.— *Ingredere igitur domum paullisper.
 Quam hercule injucundum haec terrae
 lubrica peragrare...! Heu desideratissi-
 ma Parisiorum strata!*
 H.— *Nonne id dixeram? Et vos rusticatio-
 nen verbis amplificatis!*
 J.— *Id iterum: ne decantes, Henrice; ser-
 mones isti stomachum mihi movent.*

 H.— *Quid vero occasionem tunc temporis
 non arripiusti?*
 J.— *Lotto quidem vicitavi... O lepidum
 quidem negotium, a pacata annorum
 duorum vita denuo compelli, ut manus
 agri culturae admoveas! Hoc nempe ad
 asinos ab equis...*
 H.— *Atqui tu ipse in culpa es.*
 J.— *Age, denuo id faris?*
 H.— *Quod vero ad me, satius matri vale di-
 cere amavi, miserisque paternis bonis,
 quam exosum repetere agrum. Nunc
 vero Parisiis opipare vitam traduco.*

 J.— *Atqui non multo abhinc tempore, ha-
 bui consilium abeundi; ast mihi timor
 ex manu manubrium exemit.*
 H.— *Quam tui impost! Non hercule es na-
 tus, qui Lutetiam colas.*
 J.— *Nihil minus... atal...*
 H.— *Quid tandem consilii suscipias, nunc
 etiam vacuulas? Satis superque est, mihi
 credè, sibi suis cuique rebus in hoc fal-
 taci mundo...*
 J.— *Tuis, ergo, amice, estipulor consiliis.*
 H.— *Aetatem habes; primum, ni fallor, et
 vicesimum a'num complevisti.*
 J.— *Duos insuper adde, qui pedibus ince-
 dendo et manibus effluxerunt.*
 H.— *(Respicit). Ecce ad nos familiares tui;
 illos de re edoce... Quamquam, ut con-
 jicio, e pomice aquam postulabis. (In-
 greditur pater Johannis).*

I—La Partida


PADRE, JUAN y ENRIQUE

- J.— ¡Hola compañero! ¿Tú por aquí?
 E.— Como ves, amigo.
 J.— Entra, pues, unos momentos en ca-
 sa. ¡Qué incómodo es andar por es-
 tos andurriales...! ¡Oh deseadísimas
 calzadas Parisienses!
 E.— ¡No te lo dije? ¡Y después iréis ala-
 bando la vida campestre!
 J.— No me vengas con esa canción, En-
 rique; esto me disgusta sobre mane-
 ra.
 E.— Y ¿por qué no aprovechaste entonces
 la ocasión?
 J.— Fuí en verdad corto de vista...! Oh!
 ¡Bonito negocio, que después de dos
 años de vida tranquila, tenga que
 volver de nuevo al arado! Esto es ir
 de mal en peor...
 E.— Tú tienes la culpa.
 J.— ¡Dale con lo mismo!
 E.— En cuanto a mí, preferí abandonar a
 mi madre y los miserables bienes
 paternos que no volver de nuevo a
 la odiosa labor del campo. Ahora
 vivo en París una vida pasable.
 J.— Pues no hace mucho tiempo, que
 intenté fugarme; pero el miedo me
 quitó la ocasión de las manos.
 E.— ¡Qué cobardel! ¡A fe que no eres digno
 de habitar en París!
 J.— Esto no... pero...
 E.— ¿Aún dudas qué partido has de to-
 mar? Créeme: en este pícaro mundo
 hay bastante con que mire cada uno
 por sí y por sus cosas...
 J.— Pues me adhiero a tus consejos.
 E.— Edad tienes; si no me engaño, has
 cumplido ya los veinte y uno.
 J.— Echame dos más, que pasaron cuan-
 do andaba aún a gatas.
 E.— (Mira hacia atrás). Vienen tus pa-
 rientes; háblales del asunto... aun-
 que me figuro que no harás sino per-
 der tiempo. (*Entra el padre de Juan*).

- J.— *Vide, mi pater, quam suavis Parisiis degatur vita.*
- P.— *Atqui Parisiorum incolae mihi hominum perditissimi.*
- J.— *Id autem non semper; en tibi Henricum nostrum.*
- P.— *Henricum vero? Filius est terrae.*
- J.— *At nulla nunc ad affirmatione opus est, sed probationale.*
- P.— *Quid malum, probationis...? Hehe, nate, tuorum consiliorum haud equidem sum omnino inscius; te autem non spero domum migraturum. Quid alias dixerim, recordare.*
- J.— *Quae dixisti vel minus, nihil ad rem faciunt.*
- P.— *Atat, mi Johannes...*
- J.— *Apage jam historias... Et nos, mi Henrice, ut rusticæ vale dicamus vitae silatum sumptum eamus.*
- H.— *Recte tu quidem, commiles. Tu autem, bone vir, macte animo et vale atque salve.*
- P.— *Ast consilium, scelio, amissisti...? Cave, Johannes, ne matrem conficias!*
- J. et H.— *Jam funus ornatum est.*
- J.— *(Cum discedit). Honestam vero, ais, locationem Parisiis inveniemus?*
- H.— *Quid dubitas nunc? Perbellae erunt nobis occasiones. Certae ibi procurationes existunt, quae officium agricolis et aliis peregrinis ad libitum committant.*
- J.— *Bellissime! Hic vero cuilibet opus est annus sese ut aptet et tandem odioso jugo sordidisque phaleris inserviendum... Ah!, ah! aut certe hodie, aut numquam. (Janua efferunt pedem).*
- J.— ¡Vea V., padre mío, qué bien se vive en París!
- P.— Los de París son para mí la gente más perdida de la humanidad.
- J.— Pero esto no siempre: he aquí a nuestro Enrique.
- P.— ¿Enrique? Es uno de tantos.
- J.— Ahora no es hora de afirmar sino de probar.
- P.— ¿Porqué he de probar? Mira, hijo, no me son del todo desconocidos tus intentos; con todo confío que no te marcharás sin más ni más. Recuerda lo que te he dicho otras veces.
- J.— Lo que V. me dijo no me importa un bledo.
- P.— Pero, Juan...
- J.— Déjese ya de cuentos; y nosotros, Enrique, vamos a tomar un refresco antes de despedirnos de la vida del campo.
- E.— Muy bien, compañero. Y vos, buen viejo, ánimo y adiós...
- P.— Pero ¿has perdido el juicio, bribón? ¡Mira, Juan, que vas a matar a tu madre!
- J. y E.— El entierro está ya preparado.
- J.— (Al marchar). Pero ¿encontraremos buena colocación en París?
- E.— ¿Porqué dudas de ello? No nos faltarán ocasiones propicias. Allí hay casas de recomendación que se cuidan de buscar oficio para los labradores y demás extranjeros.
- J.— ¡Magnífico! Aquí se necesita un año para apañarse, y a la postre, ha de pasar uno la vida con un miserable arado y unos sórdidos aperos. ¡Ah!, ah! O bien hoy, o nunca. (Salen).
- P. PHILOPONUS.



Instrumenta musica



Quod inter artes quidem ingenuas mentem ad superos maxime evehat, ideo musica a nonnullis divina vocatur. Neque eam immerito dicere vales perennem, cum a primis jam incolis terrae, teste sacra Scriptura, aliquo modo fuerit exculta: «Ipse (Jubal) fuit pater canentium cithara et organo». (1) Historia autem profana concorde, ars musica omnibus temporibus omnibusque in gentibus plus minus invluit. Cujus quidem artis praestantiam Plato ipse declaravit, cum idoneam eam aestimavit, quae extolleret animum ad suavitatem virtutis.

Quam hodie tabellam ob oculos lectorum humanissimorum praebemus, ea instrumenta musica repraesentat in antiquitate classica communiora; excipe tamen medium, et usu et structura hodiernum. Magna quidem in eis, ut aliis in pristinis rebus, disparitas a recentioribus: haec vero lex est rerum humanarum. Multa fuerunt musica apud veteres instrumenta, quorum naturam Archaeologia nondum explicavit omnino; praecipua tamen auctorum notis monumentorumque instaurare integrum quidem fuit. Usitatiora cernes in tabula adposita.

Quod ad musicam institutionem adtinet, absimilis ea fuit inter Graecas gentes et Latinas; nam dum in Graecia erat quasi pars praecipua educationis, apud Romanos a paucis admodum colebatur: alteris quippe maximo, alteris minimo erat in honore. Euntibus tamen saeculis, Romana indoles fuit musices in dies magis studiosa nostrumque genus praeivit, adeo istius modi cupidum artis. Ea quidem

(1) Gen. 4, 21.

aetate sunt adhibita musica instrumenta in pastorali vita, in venatione, in bello, in scaena, immo et in humatione corporum, unde effatum illud natum: «Ad tibicines mittere». Multiplici materia efficiebantur, praesertim vero cornu, scapo, ligno, erantque simplicissima. Musicorum instrumentorum triplex genus. Alia nempe instrumenta spiritu inflabantur: bucina, lituus, symphonia, syrinx, tibia, tuba; alia nervis intendebantur: lyra, testudo; alia denique manu pulsabantur plectore: cymbalum, sistrum. Omnia haec videsis in pictura.⁽¹⁾

In media parte exstat clavicordium (*piano*), quod explicatius adnosces in CANDIDATO LATINO (Ann. I, p. 68). Ut id profanorum, sic organum est quasi sacrorum princeps instrumentorum, nostrarum cathedralium praeclarum ornamentum. Quod autem ad vocabulum organum, id animo adverte, apud pristinos auctores illud sonare idem atque instrumentum musicum in genere. «Non solum illud organum dicitur, quod grande est, et inflatur follibus, sed quidquid aptatur ad cantilenam».⁽²⁾ Et Isidorus: «Organum, vocabulum est generale vasorum omnium musicorum».⁽³⁾ Quod quidem apud probatissimos auctores confirmatum videbis. Organum autem hodiernum nullus est qui non viderit aut saltem de eo loqui audierit. Iam vero, humanissime lector, vetustam ejus modi descriptionem tibi offero, quae tibi, ni fallor, oblectamento erit.⁽⁴⁾

«Talia et auxistis hic organa, qualia nusquam
 Cernuntur gemino constabilita sono.
 Bis seni supra sociantur in ordine folles,
 Inferiusque jacent quattuor atque decem.
 Flatibus alterius spiracula maxima reddunt.
 Quos agitant validi septuaginta viri,
 Bracchia versantes, multo et sudore madentes:
 Certatimque suos quisque movet socios
 Viribus ut totis impellant flamina sursum,
 Et rugiat plena capsa referta sinu.
 Sola quadringentas, quae sustinet ordine musas
 Quas manus organici temperat ingenii.»

Ut nunc quidem est, ars musica maximo apud populos est in honore. Nulli fere sunt actus publici, nullae pompa, nulla spectacula ubi musica aliquo modo desit. Instrumenta fere innumera, perfectiora in dies evadunt, omnibusque mire motibus animi aptantur studio et industria.

Quid nunc de lingua Latina in scientia sonorum? Facile mecum senties, parum eam linguam de musica expressisse. Quod ad nos, inutilem hoc loco ducimus conlationem antiquorum cum recentibus instrumentis, quia nomenclatura hodierna satis intricata est, egetque studio non parvo. Utinam sint, qui huic rei toto pectore incumbant! Nos vero vocabula atque phrases nonnullas, ut consuevimus, in commodum prae primis tironum, subjungemus.

(1) Alia etiam musica instrumenta novisse praestat. Quam ob rem primo generi adjunge: *arundo*, *avena*, *buxus*, *calamus*, *cicuta*, *classicum*, *fistula*, *gingrina*, *salpinx*; alteri vero: *barbitos*, *chelys*, *cithara*, *fides*, *arpa*, *nabulum*, *pandurium*, *psalterium*, *sambuca*; tertio tandem: *crepitaculum*, *crotalum*, *crusma*, *scabelum*, *tintinnabulum*, *tympanum*, cet.—(2) August. in Psalm. 56.—(3) Lib. 2. Orig. c. 20.—(4) **Da Fresne**, *Glossarium Latinitatis, Art. Organum*.

I.	Acentuar Afinar Batuta Arco Cantar Canto Clavija Compás Componer Concierto Cuerda Director Dirigir Duo Escala Entonar Intervalo Lengüeta Melodía	<i>acuere temperare porticulus pulsabulum canere cantus verticillus modus componere concentus fides, ium choragus moderare bicinium gamma praecinere intervallum lingula melos</i>	Música Nota Orquesta Pausa Pedal Pentagrama Preludio Púa Registro Resonar Semitono Solfa Solo Sonido Tecla Terceto Tocar Tonada Tono	<i>musica nota orchestra intermissio pedale pentagramma praeludium plectrum regestrum resonare semitonium musices elementa monodia sonitus tudicula tricinium ludere, pulsare cantilena tonus</i>
----	--	--	--	---

II. MUSIGENA.—Adloqui cupio dominum choragum; estne forsitan domi?

FAMULUS.—Non ille. Duntaxat sunt domi phonascus (*maestro de canto*) et fidicen (vel pulsator).

MUS.—Quam ob rem ad fidicinem me conferam.

FAM.—Tristēga ipse tollenone (*ascensor*) concende; ibi reperies.

Mus.—Quanam vero ille in cella, amabo, moratur?

FAM.—In prima quidem, ad laevam. Ante portam rotulum leges.

Mus.—Salve multum, domine mi! Arte musica institui cordi est; idcirco ad te confugi.

FIDICEN.—Gaudio gaudeo! Quodnam musicum pulsare vis instrumentum?

MUS.—Citharam quidem; amicus enim id mihi suasit.

FID.—Ex hac, igitur, die citharista eris, amice, sicut et cornicen est, qui cornu, tibicen, qui tibia, bucinator, qui ludit bucina.

MUS.—Atqui ego citharam pulsantem audivi adpellandum citharaedum!

FID.—Non ita; citharista enim pulsat, citharaedus et cantum cithara comittatur. Idem fidicinem inter et choradicastam est discrimin.

FID.—Addidicistine unquam musica canere (*solfear*)?

MUS.—Sane quidem. Primae studui methodo musices.

FID.—En tibi librum; quaenam vides elementa in plagula secunda?

MUS.—Pentagramma in primis; inque illo clavem, modum, notas...

FID.—Quaenam sunt diastemata praecipua? Enumera, sodes.

MUS.—Tale nomen in musica audivimusquam.

FID.—Aequipollent vero Latino intervallo. Intervalla, igitur, praecipua sunt: diapason (*octava*), diapente (*quinta*), tritemoria (*tercera*).

MUS.—Huius Musicam, non Graecum addiscere intendo.

FID.—Ne pave; id condimenti omnibus quidem inservit. Graeci autem musicae admodum studiosi erant.

MUS.—Et nomen musica, ni fallor, Graecum est.

CHORAGUS.—Canta, sodes, voce elatiore; alias vixdum audiēris in theatro.

MUS.—Haud euidem sum vocalissimus; gracilis enim vox mea est.

CHOR.—Altus ergo monodiam disctet, cuius gravior erit vox.

MUS.—Ego autem accentor malo esse.

CHOR.—Nunc compositioni modum praecine (*dar el tono*), ut ceteri consequantur.

MUS.—Nondum bene didici antecamentum. Ceterum cantum numerosque nescio numerare (*llevar el compás*).

CHOR.—Fac attentior sis in posterum, stipes; aliter concentus (vel symphoniae) erunt rariores.

MUS.—Curabitur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Commercium Epistulare

Jac. Sadoletus Episc. Carpent. Des. Erasmo Roterodamo S. P. D.

Is qui tibi has litteras reddidit, minus mihi sane cognitus est, neque ego hominis mores, naturamque perspexi. Sed cum adiisset ad me diceretque se celebritate famae et amore quodam nominis tui commotum, velle ad te proficisci, ut sub te magistro lautioribus litteris operam daret, non potui non probare hoc ejus constitutum, nam et rem pulcherrimam et doctorem praestantissimum adpetere mihi visus est. Proinde petenti a me commendaticias litteras, libenter conservavi consuetudinem meam: et in his, quae ad humanitatem pertinent, facilem ei me praebui. Commendo tibi eum igitur; sed ita, ut cum ipse de eo feceris judicium, dignumque statueris quem in amicitiam tuam recipias, tum eum sic adhibeas, et benignitate tua complectare, ut quod sine ullo incommodo fiat, aliquem ipse fructum sui hujus rectissimi studii consequatur. Ego postea quam ad te proxime rescripsoram, biduo illo aut triduo accepi libellos tuos, quorum jam bonam perlegi partem: imprimisque sum tuis defensionibus adversus illos obtrectatores tuos mirabiliter delectatus. Summam enim illae doctrinam, et illam, quam ego maxime probo, egregiam recolent animi moderationem. De Basilio iterum ago tibi etiam atque etiam gratias, quod me ad eorum numerum, quos tui ingenii monumentis inlustrire voluisti, adgregare dignatus est. In quo si tibi non par opera rependetur a me, at mea aequa certe tuae isti praestanti erga me voluntati reddetur voluntas.

Vale, mi Erasme, et Amerbachium nostrum meis verbis saluta. Iterum vale.

Carpentoracti, VII. Idus Junias, M. D. XXXII.

Per orbem

Vita functi viri clariores.—Ettore Stampini. — In commentario trimensili «*Rivista di Filologia Classica*» (fasc. I. 1931) Laurentius Dalmasso clarissimi Ettore Stampini vitae lineamenta opusque litterarium in memoriam revocat.

Stampini in pago Fenestrelle IV Kal. Junias a. MDCCCLV vitam ingressus, summas laurus in humanioribus litteris consecutus, postea in universitate Messensi litteras Latinas discipulorum plausu edocuit ac demum postquam Thomas Villauri e vita discessit ejus partes Au-

gustae Taurinorum suscepit; ubi denique, universitatis rector designatus, hoc functus munere extremum nuper edidit spiritum.

Superioris Consilii, Coetusque publicae Institutionis membrum constitutus, in Regali Scientiarum Academia socius receptus, anno 1897 usque 1923 commentarii «*Rivista di Filologia e di Inst. Classica*» moderator designatus (ne plura commemorem munera) claro nomine in republica litterarum effulsit. Satis superque est nobis libros nonnullos, (1) ver-

(1) E. Stampini opera capita: *Studi di letteratura e filologia latina* (1922), *Nel mondo latino* (1926), *Commento metrico a XIX Odi di Orazio* (1881), *La metrica de Oracio comparada con la greca con un'appendice di Carmi di Catullo* (1908), *Georgiche e Bucoliche* (1883), *Edizione critica die de delle opere di Orazio* (1892); *Il Trinummus e Captivi di Plauto. Libro de Catullo Veronense* (1921), *Carmine secolare de Orazio* (1927), *Osservazioni sui Carmi triunfall romani* (1898), *Osservazioni sulla leggenda di Ennea e Didone della letteratura romana* (1892-93), *Il suicidio di Lucrezio* (1896), *Codice torinensis di Lucano* (1898), *Codice bresciano di Catullo* (1915), *Lucretiana* (1917), cef.

siones articulosque in commentariis editis ad calcem recensere.

—Romualdus Giani. XVI Kal Febr. vertente anno Taurini vita functus est Romualdus Giani vir quidem in humanioribus litteris conspicuus atque in philologicis disciplinis versatus; quod ex animo lamentamur.

In commentario *«Riv. di Filog. Clas.»* fasc. II, 1931, postumum cl. viri repertus scriptum hoc epigraphe signatum: *«Relazione melodica di strofe e antistrofe nel coro greco»*, ubi satis adpareret auctoris eruditio atque sapientia.

—Anulfus Gandiglio. —Fani in Italia novissime morti occubuit Adulfus Gandiglio inter hodiernos Latinarum litterarum amatores versatissimus, qui quidem in certamine Hoeufftiano lauros plurimos reportavit. In Latinorum Pascoli poëmatum translatione mirus atque facilis inventus est. Philologiam etiam classicorum quam studiose coluit fructusque tulit optimos ut ex *«Sintaxi latina»* quod exstat opus, disertissimum quidem, et tradendi ratione et elementorum copia, dignosci licet. Nunc igitur gens Itala luget et lugent humaniores litterae.

—L. Clédat. —Lutetiae Parisiorum Dominus L. Clédat, qui in Lugdunensi universitate praceptor exstitit amplissimus, tertio Kal. Jun. fataliter oblit. Commentarii *«Les Humanités»* scriptor strenuus *«le Vocabulaire Latin»* inter alia prelo mandavit.

Lectiones aestivae in Italia. Ut jam diu mos est, Institutum interuniversitarium (Roma, via di Monte Tarpeo, 28) rerum antiquitatum studioissimis civibus vel peregrinis, aestivas conlationes seu lectiones praeordinavit hac ratione habitas: Romae a VIII mensis aprilis in Kal. Majis optime disseruerunt E. Rizzo de arte romana Imperatorum tempore, G. Lugli de Romanorum sepulcris et religione, P. Romanelli de archaeologicis monumentis in coloniis Romanis, E.

Josi de christianorum picturis primis Ecclesiae saeculis, R. Pettazzoni de religionis Romanorum progressu: a die V. m. julii in nonis sept. G. Lagli de archaeologica scientia deque arte antiquorum Romanorum, G. Giovannoni de arte aedificandi apud Romanos atque de aedilium vicissitudinibus: a die VII m. julii in XXX augusti M. Antonielli de archaeologia deque artis historia. Perussii etiam mensibus julio, augusto, septembri Dni. Nogara, Buonamici et Neppi - Modona de etruscologia sunt elocuti.

Cervariae. —Cum Kalendis Octobribus Humaniorum litterarum ac Theologicarum sollemniter, ut mos est, pandentur scholae, P. E. Jové professor et nostrae PALAESTRAE moderator orationem curriculi auguralem pronunciandam suscepit; in qua illud totis industriae viribus et quam maxima simul sermonis brevitate, conatus est, ut primam linguae Latinae originem atque incrementum usque ad Christum natum, tanquam in tabula historica, ostenderet; quod Latino sermone compto quidem ac polito perfecit.

Societas G. Budé. —Excursio altera a meritissima illa Societate in Graeciam ordinata, de qua in PALAESTRA m. jan. scripsimus, exitum habuit, quem optabamus, secundum. Quam ob rem Idibus Jan. excursores aliquę plurimi Lutetiae Parisiorum iterum congregati amicissimo convivio illud celebrarunt. Quibus non contenti Budeanae societatis curatores scientificas excursiones per Gallicum urbes mense augusto percurrentias instituerunt; altera, rectore Johanne Platard litterarum praceptore in Pictaviensi universitate, VI Idus augusti incopta octo diebus protracta est; altera vero, cui Dom. L. A. Constans scriptor clarissimus atque professor praefuit dies septem a XI Kal. aug. persecuta, feliciter evasit.

J. D.



EXERCITATIONES SCHOLARES

Autocinetum et Asellus

«Tuas dixitias contra nullum jactites». (1)
 Equorum centum cursare vaporalium (2)
 Vi poterat autocinetum. Constitit (3) in via
 Casu, prope asellum depascentem gramina.
 Suam proterve (4) jactans fortitudinem,
 Ejusmodi in ruricola voces exerit: (5)
 Hem quale nobis est discrimin virium!
 Viam tum rursus adripit (6) velociter.
 Vapore ignito disrumpente (7) capsulam,
 Summo fragore circum pulsatur locus.
 Undique concursus (8). Infelix stat fumida
 Nube autocinetum, jam semusta (9) cadavera
 Viros habens duo: lympha (10) extinctis ignibus,
 Asellum adducunt, machinam qui devehat. (11)
 Tunc ille: (12) Centum quod equis pondus erat grave,
 Ecce misellus ego despectusque unus (13) traho.

L. Rocci, S. J.

Proezas de Hércules.—Hércules, hijo de Júpiter y Alcmena llevó a cabo (14) muchas proezas que Juno, la reina de los dioses le había mandado realizar. En primer lugar dió muerte al león de la selva de Nemea (15) cuya piel llevó siempre consigo; después mató la serpiente del lago Lerneo (16) en el veneno

de la cual mojó (17) las saetas. Por eso todo animal herido con ellas moría (18) indefectiblemente. Hércules domesticó (19) un jabalí que en Arcadia devastaba los sembrados y un toro que destrozaba los campos (20) en la Isla de Creta y los llevó a Euristeo (21) su señor.

AENIGMATA

1.	O be	quid bis	tua bia	te abit
		ra	ra	ra
	es		et	in
		ram	ram	ram
			ii.	

Quis integrum leget hanc orationem. Omnia habes, lege clarius.

2. Inspice me, te ipsum solumque paremque videbis.
Finem si mutas, caelos fructusque patebunt.

P. Syri Explananda sententiae

4. Ad calamitatem quilibet rumor valet.
6. Ad tristem partem strenua est suspicio.
7. Aegre reprehendas quod sinas consuescere.

(1) Engreise de, jactarse de;—(2) caballos de vapor;—(3) se paró casualmente;—(4) audazmente;—(5) protrumpió en expresiones de este género;—(6) emprendió rápidamente la marcha;—(7) ablat. absol.;—(8) subauditur fit;—(9) chamuscado, medio quemado;—(10) agua (abl. instr);—(11) qui=us=para;—(12) tunc ille ait;—(13) ego unus-yo solo;—(14) perficio;—(15) Nemeaea, ae;—(16) Lernaeus, a, um (concert. con serpiente);—(17) tingo;—(18) ningún animal se libraba de la muerte mortem effugere;—(19) domo, as arte;—(20) agres;—(21) Burystheus, i.

Utile Dulci

Mortuorum inscriptiones

1. Nunc quod es ipse fui, nunc ego sum quod etis.
2. O vos qui cupitis mortem evitare severam
qui sum, vos eritis; quippe quod estis, eram.
3. *Medico cuidam*—Hac sub humo, per quem tot jacuere, jacet.
4. *Latroni cuidam*—Expilavit, expropriavit, sed non expiavit.

Publilius Lochius Syrus

Saepe numero fortasse, care lector, tibi obferentur sententiae lepidae, acutae, graves, dignae profecto quae a pueris ediscantur: eae sunt Publili sententiae, qui quidem nobilis fuit aetate Caesaris poëta ac mimicæ scenæ conditor juxta Plinium (1) genere Syrus et, ut videtur, Antiochenus (2) conditione servus. Sed cum a puero tota corporis forma ac conformatio[n]e et in dicendo salibus atque ingenio magno opere praestitisset, a domino suo Domitio manumitti atque cura majore ac studio erudiri promeruit,

Mimos itaque plures conposuit ingentique adsensu in Italiae oppidis egit; Romanum denique venit ad Caesaris ludos, ibique ex tempore recitando et mimos scriptos producendo omnes superavit, vel ipsum Laberium, magno Imperatoris et populi aplausu. Sic enim Gellius in Noctibus Atticis (3) ait: «Publilius mimos scriptitavit. Dignus habitus est qui subpar Laberio judicaretur. Cajum autem Caesarem, ita Laberii maledicentia et adrogantia offendebat, ut acceptiores et probatiores sibi esse Publili quam Laberii mimos praedicaret.»

Maximam ideo apud Romanos meruit celebritatem; illiusque sententiae in ore omnium versabantur; harum autem jam a saeculo primo post Christum magnam copiam ac vim litterarum ordine apud auctores invenies. Eademque de re laudatum exaudi Gellium (4): «Hujus Publili sententiae feruntur pleraque lepidæ et ad communem sermonum usum commendatissimæ, ex quibus sunt istae singulis versibus circumscriptæ, quas libitum hercle est adscribere: Malum est consilium quod mutari non potest; Beneficium dando accepit, qui digno dedit». (5)

Publili autem probitatem sic Petronius (6) effert: «Rogo, inquit Trimalchio, magister, quid putas inter Ciceronem et Publiliū inter esse? Ego alterum puto disertiore fuisse, alterum honestiorem. Quid enim his melius dici potest: Luxuria ricto Martis marcent moenia...»

Juxta probatiores vetustatis existimatores Publiliū Lochium Syrum auctorem nominavimus, sed hac de re non est nostrum disserere. (7)

Josephus M. MIR, C. M. F.

(1) Plin. Nat. Hist. XXXV-17 (58);—(2) Plin. Nat. Hist. XXXV-17 (58); Periz: Onomasticon.—(3) XVII-14.
(4) XVII-14.—(5) Cfr. Ribbeck: Comic. Latin. Reliquæ.—(6) LV-5.—(7) Cfr. in editione Teubneriana Plinium: Hist. Nat. XXXV-17 (58);—VIII-51. Seneca: De Tranquill: Animl, XI-6; epist. VIII-8. Tullium Ad Fam. XII-18, quibus locis Publiliū inventies. Quoad nomine videsis Ribbeck: Comic. Latin. Reliquæ et Plinium; Hist. Nat. XXXV-17 (58); ubi et Lochium et Antiochium fas est legere; de cognomine nulla inter auctores adpareat dissensio.

B i b l i o g r a p h i a

A. Dal Zotto. "Vicus Audieus". *Storia critica e delimitazione del luogo natale di Virgilio. Mantova. 1930.*

Cum idibus Octobribus anni 1930 secundus fuerit nativitatis Vergilii Mille-narius, tota Italica gens exultavit, hunc perlustrem civem honorare parata. Multiplices hinc inde magno litterarum Latinarum poëtae honores tribuntur, praesertim vero critica et litteraria ei opera dicando, ejusque vitae populum narrando ac scripta inlustrando.

Inter alias igitur quas haec bimillenaria Vergilii commemoratio quaestiones definitive tractare suscepit, non ultimas tenet partes locum nativitatis Vergilii delineare ac fere describere; quod quidem opus Dal Zotto completere quam absolutissime sibi proposuit ac tandem complevit. Triplici utitur hic scriptor ad thesim enucleandam argumentorum generis: historico primum ubi rejecta Probi lectione XXX milia passum, III milia Egnatiani textus praefert; argumentis deinde topographicis proprio et alieno labore descriptis; versibus tandem Vergilianis selectis atque opportune inductis. His stipatus adminiculis, concludit Dal Zotto Vicum Andicum, ubi natus est Vergilius, ad tria milia passuum a Mantua inveniri, loco inter colles et rivum Andicum jacente. Deinde Eclogarum versuum ductu terram ita describit quasi Vergilianam domum, agros, ac sylvam oculis videres, manibus palpare, pedibus calcares. Ope autem philologiae eo devenit ut, priscis tempore Vergilii in usu loci nominibus rejectis, quae hodie adhibentur substituat tamquam si vetera illa tempora nunc surrexisse viderentur. Post absolutissimam hujus auctoris tractationem, Mantuam Musarum domum adhuc dicere licebit, non Bresciam uti voluit Seymour Conway, aut nescio quam civitatem, juxta Rand, qui opus «In quest of Vergil Birthplace» scribere

sibi proposuit; adhuc verum est illud «Mantua me genuit».

M. M. P.

Funaioli, G. - "Esegesi Vergelliana Antica". Milano. 1930. P. 509.

Labor vere Herculeus a Dominico Comparetti appellatus, fructus est optatissimus per annos plus virginti elaboratus, mirae eruditiois ostentum, atque in commentariis Vergilianis Philargirii nempe et Titi Galli conamen ardentissimum.

Liber in sex capita perlonga disjunctus agit primum de his, quae exstant manuscriptis, quorum plus novendecim dinumerat; deinde de Philargyrii commentarii fortuna per saecula; quae complectatur elementa, quae codicum praestantia atque momentum, qui Philargyrii fontes. Demum in ultimo praecipuoque capite exegesim tradit Philargyrii et Galli commentarii.

Opus Funaioli magni quidem est in pretio, certumque habeo philologorum primores, eos qui sublimia classicae philologiae pervagantur, magna adficiendos esse admiratione.

Hoc tamen notare velim, quod titulus valde restrictus adparet si ad omnia quae in opere pertractantur contuleris: nonne ergo auctor climus. de Philargyrii et Galli commentariis Vergilianis rectius intitulaverit? Praeterea in fine capitis de manuscriptis siglarum index alphabeticus desideratur, quo, cum opus fuerit, facilior evaderet recursus. Quod vero ad partitionem attinet aliquatenus cum auctore dissentiam; etenim ratione certo commodiore opus dividendum erat, quod absque dubio obtinuissest si, postquam de Philargyrii et Galli pauca tradiderit, de eorum commentario sermonem instituisset, dein de commentarii elementis ac fontibus, postea de manuscriptis eorumque momento scientifico, demum de exegesi.

J. D.

Jeanmaire, H.-"Le Messianisme de Virgile". Paris, 1930. P. É16. (Libr. J. Vain, 6 place de la Sorbone, V.)

Dum clarus Carcopino eruditissimo libro «*Le mystère de la IV éclogue*» sapientium admirationem rapiebat, dominus Jeanmaire eruditio non inpar, doctrina sententiaque contrarium opus edebat. Ille enim sensum allegoricum Romanorum more IV Vergilii disputatissimae eclogae magno rationum pondere tribuit, is e contra Messianicae interpretationi juxta Aegyptiorum traditiones maxime favet; ille anno 40 sub finem aestatis scriptam autumat, is vero anno 41 exeunte; ille natum jam puerum putat, is proxime edendum.

Quae cum ita sint, lectorum mentes admodum juvandas credo Faider (1) ad annotationibus atque Dris. Lagrange (2) dissertatione, eaque ad rectum judicium in hac sententiarum pugna maxime inservienda.

Auctor diserte plerumque agit; tam rationalistarum placitis, in capite praesertim, quod est de Nativitatis Evangelio, nimis aliquotiens favere videtur, quo fit ut liber non omnibus sed probatissimis tantum viris commendandum putemus.

J. D.

"Viata si Opera Poetului Publius Vergilius Maro". (Volum Comemorativ-Publicat de Revista Clasica, Tipografia «Bucovina» I. E. Toroutiu, Bucaresti III, Str. Gr. Alexandrescu, 4) p. 158 an. 1930.

Rumanorum Scriptorum dissertations quae ad recolendam Vergilii memoriam anno transacto apud Rumanos prodiere hac ratione se habent. N. Jorga, Prof. inlustris et humili et sublimi Vergilli originalitati indulget; Dr. Evolceanu maxime eruditus, divinam comoeidiam inter et Aeneidem instaurat similitudinem; I. Valaori autem inter Homerum et Vergilium; formas insuper tulgerunt, miscuerunt, stetgerunt Aeneidos apprime evolvit necnon ab eorum sententia abhorret qui metri caussa licentias eas existimant. Hujuscce exempla

in Buc. IV, 61; Georg. III, 283; Aen II, 774 statim repieres. D. N. Burileneau Aeneidos compositioni atque publicationi impensius studet, quaedam tum de tempore cum de historia profert. C. Papacostea operam vacat ut Romanorum ideas in Georg. dispersas adinveniat quas repertas brevi quidem tractu exponit, nimirum, Georgicarum characterem, momentum Hesiodi et Vergilii apud suos, Lucretii et Vergilii antithesem religiosamque indolem. C. Popa Lisseanu interpolationes varias sub «Commentarii Donati» cognomine annuit, quae omnes tum additionis et mutationis a Donato susceptae de Vergilianis vita agunt. T. A. Naum nobis optime adfert Theocritum atque Vergilium quos habet similimos. I. B. Bujor scientia et arte de versu Vergiliano ad Rhetorices canones confecto loquitur. M. G. Nicolau totus est in tradenda specie quam Romani habebant de «Fortuna Omnipotenti» (Aen VIII, 334) Mentem suam ad cognoscendas de Vergilii vita traditiones dirigit N. J. Herescu. Demum quasdam Vergilii versiones, leges atque Bibliographiam. Tandem non possum non prosequi laudibus Polonam Academiam de litteris Latinis perbelli meritam.

X. M. S.

Orvieto.-"El Nacimiento de Roma".

Edit. Araluce. Barcelona (Las Cortes, 392,) 1931, p. 236.

Origenes Romani populi, utpote umbra sacrisque mysteriis subsignatae, cum ex se mentes in primis attrahant animosque delectent, ex hoc maxime epheborum admirationem habent quod facili verbo ac simplici stilo in hoc scripto proponuntur. Interpres vero secum non semper constitit; saepe enim impolite locutus est, cum ait e. g.; cuando sabré lo que conviene (p. 181). más luminosos como nunca (p. 284), qué vais a hacer vosotros a Roma (217).

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator**

Typegraphia F. Camps Calmet, - Tarregae.

(1) «La IV. Egl. et la méthode historique»—Rev. belge de Philologie et d'Histoire, 1930, p. 783-800.—
(2) «Le pretendu messianisme de Virgilius»—Rev. Biblique, 1922, p. 555.